

Johann Quistorp Hermannus Balthasarus Lüders

Exgsis Locorum difficilium Cap. IV. V., VI. VII. Actorum Apostolicorum

Rostochii: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740003038>


Druck Freier  Zugang



RU. Med. 1653

Quistorp, Johann

Vorbilders, Hermann Balhauer



26.

I. N. J.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Locorum difficultium

CAP.

IV. V. VI. VII.

ACTORUM
APOSTOLICO-
RUM,

*Ad piam placidamq; συζητησιν
Consentiente Theologica Facultate,
in Auditorio Majori,
publice, ad d. XIX. Martij proposita*

à
JOHANNE QVISTORPIO,

*S. S. Theol. D. Professore Ord. & Templi
Cathedralis ad D. Jac. Ecclesiae,*

Respondente

HERMANNO BALTHASARO Eiders/

Burgstorffienfi Luneburgico,



ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

Anno MDCC LIII.

1693

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



AD sua pellectat Venus improba iustra seqvaces,
Evacuare scyphos fœx vacuanda movet.
Pro libris Librum multi venerantur amatum,
Pulpa menta alii vix cupienda volunt.
Vix cupienda capit pars plurima; nec minus almam
Virtutem seqvitur Sedulitatis Amans,
Pulpamenta alii qværant, sua iustra seqvantur
Non pauci, calices ut videantur honos.
Pulpita Tu scandis, specimen, LUDERE; daturus,
Pulpita pro pulpis Te redamare probas,
Tali maeste precor genio, talemq; *revela*
Te Patri, & Patriæ sis *relevamen*: Amen.

*Sic Domestico suo
gratulab. accineb.*

Heino Rigius, Phil. & Med. D.



Ingenii specimen, Themidos dissolvere nodos
Posses, sat eximii, signat & inde docet:
*Dum tua mi Ludere satis conanuna produnt
Quid valeant humeri, quidq; subire queant;*
Gratulor auspiciis: Succedant omnia voto
Ut quondam Patriæ magna columna sis!

Gratulab. adjiciebat L. M. Q.

*Melchior Evers/
Frifius:*

Σύγκρισις votivum ad Eximium
DN. RESPONDENTEM.

Usq; adeone labor foetus prægrandis honoris?
Moliminum quæ dignitas?
Eusebii facies adamantina fulget & adstat
Enubilata veritas.
Altior insurgens labefactat jacta LÜDERUS
Umbone tela reprimens/
Sic decet asseruisse oracula diæ Jehovæ
Sic vindicanda veritas.
Sic decet è Cathedrâ miranda crepare Jehovæ
Et buccinare gloriam.
Hoc iter euge teras pedibus ferventibus usq; ::
Geres brabia maxima.

Quod lubens vovet

Johannes Vasmer,
Hannoveranus.



Perficis inceptum sacrum cum flamine sancto
Et clypeo ipsius spicula jacta ruis.
Act. 4. Constanter causas Christi lustrare peractas,
Conveniente bono dogmata digna, probas:
Act. 5, 12. Enumeras cautè sanctùm miracula Virorum,
v. 15, 16. Et quæ præterea facta fuere Viris,
&c. Propterea sistas, ut gloria & ornamentum.
Sis patriæ atq; tuis; hæc tua facta petunt.

Singularis affectus gratia adjecit

Henricus Priester,
Gottingâ-Saxo.



CAPUT QVARTUM.

V. 1. **P**refectus templo] Quan-
quam B. Parens in notis
suis ad Matth. XXVII.

65. hunc è gente Roma-
na Prætozem statuat cum Sanctio
& multis aliis. Qui haud verifi-
mile esse putant, Romanos per-
missuros fuisse, ut in munitissimo
civitatis loco prope templum ex-
cubias agerent judæi. Hoc con-
cedere possemus de præfecto arcis
Antonix, non autem de Stratego
templario, quos male Sigonius
pro iisdem habet. Interim placet
succincte huc referre, qui ex gente
judæa præfectum hic constitutum
fuisse contendunt. Judæis enim
hic locus omnium sacratissimus e-
rat, à cujus ingressu paganos arce-
bant, & in sacra peccantes ani-
madvertebant. v. 3. Quare Lorinus
cum Salmerone volunt, magistrat-
um templi fuisse aliquem prima-
tem ex tribu Levi. Quo etiam præ-
fectum montis templi Maimoni-
des de ministr: sacro part. 3. tract.
de vasis & ministris sanctuarij cap.
7. videtur referre. Prope eadem ex
varijs Josephi locis H. Grotius col-
ligit, in notis ad Matth. XXVI. 45.
ad vocem ἐμφορῶτων. Hujusmo-

di Prætori, tutelam templi com-
missam fuisse ex 4. Reg. c. X. sta-
tuit Bulling. ad Act. Apost. *Sa-
ducaei*) hic expresse nominantur,
quia hi negabant resurrectionem
mortuorū Matth. XXII. molesse E-
ferebant dogma hoc publice do-
ceri. Et non verebantur manus
ad huc cruce crucifixi Christi ma-
didas nunc in Apostolos quoq;
coniicere: Et quidem in templo,
quod alias asyllum multis erat.

v. 3. *Posueratq; eos in custodia*)
i. e. curarunt eos certis custodibus
custodiendos, & hæc interpretatio
per vocem *τήρησιν* convenientius
denotatur, alibi autem *φυλακή*
præcise carcerem apud Lucam de-
notat. Beza ad h. l. idem habet.

v. 4. *Quasi quinquies mille*)
tantus numerus ex Petri auditori-
bus ad 2000. priores c. II. 41. de no-
vo accessit, sicut 120. cap. I. 15. non
sub. 3000. comprehendebantur,
ita nec hic tali involutione opus
erit. Sic hostes Christi volentes di-
minuere numerum fidelium, po-
tius auxerunt.

v. 5. & 6. Agitur de congrega-
tione eorum, qui inter judæos ma-
gistratum ex parte adhuc repræ-
senta-

C

fenta-

sentabant. Hoc Sanhedrin constituebant non LXXII. ut Baron. An. 31. sed. LXX. viri. Nū. XI. 16, quibus Moses ad sociatus, tunc LXXI. habuit assessores. Confessus hic orbicularis fuit, ut unus alterū intruere quiret, à dextra & lava Primatū stabant duo actuarii, nonnulli tres numerant, ut unus absolventium, secundus condēnantū, tertius utrorumq; verba notaret. Ibi reperiebatur Nasi i. e. Princeps, quo intrante omnes surgebant; ad dextrā ejus Pater senatus, qui à duobus ex ordinibus excipiebatur, ad sinistram Sapiens, quo adventante unus surgebat, qui dirimendis controversiis, collegis sociā operā navabat: nec in hunc magnificū confesum admittebatur, nisi qui esset senex, sapientia & egregia statura pollens, qui esset magia gnarus, & calleret multas linguas, ne opus haberent per interpretes audire. Hoc synedrium Hierosolymis nunc congregatum dicit Lucas, quod fieri alias solebat, suborto aliquo schismate & reformatione, quo in tempore Novatores excommunicaret & compesceret. Similem convenum habemus Joh. XI. Act. VII. & in passione Christi. Ac adfuisse ait Pontificem Maximum, quorum unus olim erat talis, & ad

vitam Exod. c. XI. 15. Num. XXV. 25. Christi autem ævo facta hæc dignitas annua & ambulatoria, imo pontificatum alternis vicibus obibant, quem nummis vel favore Romanorum obtinuerant, adhib. not. B. Pattis ad Luc. c. I. v. 2. is annuatim introibat Sanctum sanctorum, & quandam externam potestatem in delinquentes habebat in reliquis paria cum Ecclesiasticis subibat mania, dum quoq; docebat, sacrificabat & pro populo vota DEO solvebat. Porro *seniores*, qui ex judæorum præcipuo stemmate orti erant, & consanguinitate Pontifices attingebant Act. XIX. 14. *seniores* ætate & auctoritate reliquis præpollentes, & demum *scribas* seu legis doctores, Mosis & Prophetarū interpretes, reliquis eruditione & facundia palmam præripientes, adfuisse commemorat. Ad hoc synedrium, potissimum ante Herodis Ascalonitis tempora, res maximi momenti devolvebantur; hic Tribus, Pseudoprophetæ, imo Summus sacerdos dijudicabantur; ex hujus Concilij placito urbes ampliari, bellaq; indici poterant. plura hæc spectantia invenies apud Joh. Coch. in Sanhedrin & maccoth & Joh.

v. 7. *Qua potestate & quo nomine hos*

ne hoc fecistis] his verbis miraculū jam ab iis perpetratum & doctrinam eorum intendunt, putabant enim Apostolos per artem necromanticā, nō digito DEI claudo sanitate restituisse, quia hoc factum vires humanas excedebat. Et demum quis eos quondam piscatores, misisset ad docendum publicē percontabantur, cum hoc non cuiusvis, sed ordinarie vocati officium esset. Hi benefici Apostoli in jus vocabantur, non propter malefactum, sed quod beneficium in miserum hominem contulerant.

v. 8. *Petrus repletus Sp. S.)*

Hoc Christus suis promiserat Matt. X. non sitis solliciti quid loquamini, nā illa hora dabitur vobis, quid locuturi sitis. Luc. XXI.

v. 11. & 12. Christus est lapis, cui tanquam firmo fundamento innititur Ecclesiæ domus, quem ut inutilem ad ædificium lapidem abiecerunt judæorum doctores, ædificatores; nam חכמים olim sapientes dicebantur, qui super legis ædificiū ædificant, cū potius essent Ecclesiæ destructores: unde & ab hoc velut à molari lapide contriti sunt. Qui nōmen, meritum seu vim Christi pro unico fundamento habet salvantur, quid E. sibi Papistæ volunt cum suis votis monasticis, indulgentiis cultu

Divorū, in quibus etiam salutem frustra quærunt, contra ipsissima verba, ex Augustino in Decretis dist. 26, quæst. 1. citata: Qui sine Salvatore salutem vult expectare, non sanus sed æger evadet. &c.

v. 13. *Esse illiteratos & idiotas)*

Quia nimirū verba illorū græcicis coloribus denudata erant: quia plebei, nautæ, portitores, piscatores, ordinariis publ. honoribus destituti, & nō in scholis Pharisæorū versati fuerant, tales æstimabantur, cum tamen per aliquot annos Christum docentem audiverant. Imo ex hac oratione & aliis ad judæos satis patet, eos non amplius idiotas, sed in sacris versatissimos esse: Est autem *ιδιώτης* in mentione magistratuum, privatus; in mentione artificiorum studiorumq; imperitus: In mentione dignitatis & præstantiæ, humilis & inhonoratus, juxta Camerarium ad h. l. Hac occasione nonnulli ausi quoq; sunt stylum N. T. idioticum indigitare, cum sub prima nascentis Ecclesiæ incunabula nihil elatum aut excelsum spiraret, ex propria Pauli 2. Cor. XI. 6. confessione; & cum liquore Hebræi & Syri quandoq; etiam Latini sermonis permixtus sit; sic enim scripsere & locuti sunt Apostoli, quales erant & cum

quibus indies versabantur & quos instruebant. Sententias de stylo Sacrarum literarum & præsertim N. Test. Græci, doctissimorum tam veteris quam recentioris ævi scriptorum, in peculiari tractatu, An. 1639. collegit & typis exprimi curavit Dn. D. Jungius Rector Gymnasii Hamburg. omisso suo nomine.

v. 19. Hoc axioma, utrumne Deo magis sit obediendum quam hominibus, non est locutio comparativa sed negativa: Et idem est, ac hominibus obtemperare & Deo non obedire velle. Idem habet Socrates in Apologia *ἐγὼ μὲν, ὡς ἄνδρες, ἀθληταῖοι, ἀσπάζομαι ὑμᾶς, ἡ Φιλῶ, πείσομαι ἢ τῷ Θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν.*

v. 28. *Prædestinavit*] quia quod judæi sponte volebant, fieri permittit; itaq; fieri DEUS decrevit, vel potius ut fieret præstinavit. permittere, nam quod in tempore DEUS permittit, ab æterno permittere statuit, & quia in bonum finem, quod fieri permittebat, ordinavit. vid. not. cap. II. 23.

v. 31. *Succensus est locus*] fuit hoc extraordinarium signum divinæ gratiæ; sicut enim inauguratum templum, dum Salomon orabat, nube peculiari replebatur I. Reg. VIII. & Daniel devote orans

Angelum assistentem habuit, Dan. c. IX. sic hic, cum peccati essent Apostoli, commotus fuit ille locus: Quamquam signum hoc non sit perpetuum; signatū autem adhuc percipimus, quoniam DEUS suis cū beneficiis est in medio nostri.

v. 32. Non est exemplum monastica alicujus abdicacionis; minor E. quod ex hoc versu votum paupertatis probare allaborant, illi qui inopes sunt sine defectu, casti in concubinato, & obediētes in illicitis. Quum tamen illud fuerit saltem temporarium, præprimis sub Decemviri perfectione: Et topicū consilium non Catholicū: nam hæc ratio potissimum Hierosolymis obtinebat, ut notatum ad cap. II. 45. Imminēbat enim mox judæica gentis plenaria everfio, itaq; potissimū immobilia in tempore vendebant, ut haberent unde egenis piis succurrere deinceps possent. Erat consilium necessitatis non perpetuitatis. Hoc factum erat singularis illius doni Sp. Sancti in credentes tam large effusi effectum, quo eminenti hoc modo charitatem erga proximum declararent. Notandum vero est, quod non fuerit communitio talis, ut pro lubitu ex singulorum bonis promiscue quicquid;

runq; quod veller sumeret, sed ex
 nis quæ ultro collata erant singulis
 porrigebatur, prout cuiq; opus e-
 rat, ne quis egestate ultra modum
 premeretur, ut est v. 35. & cap. VI.
 r. Hinc liquet non sublatam fuisse
 proprietatum distinctionem. Et
 Petrus in Epist. i. c. v. z. innuit,
 neminem ad charitatem hanc ex-
 ercendam lege quapiam adactum
 fuisse, sed liberum relinquebatur
 cuiq;. Et qui nolebat vendere sua,
 non ideo ex fidelium numero ex-
 cludebatur. Hoc exemplo cor-
 roboratur Pauli monitum Gal. VI.
 ne & nos fatigemur in benefaci-
 endo.

v. 35. *Deponebant ad pedes Apo-
 stolorum*] Recte ad pedes deposuere
 pretia, non ad manus vel faciem,
 quia à Sp. Sancto illuminati, ut lu-
 tum æstimant opes, quod pedibus
 calcamus: Sic Sancti tales opes vi-
 li collocant loco, nec sicut modo
 Papa, evaevant magnatum locu-
 los. Apostolis pretia hic pro agris
 committebantur, ut distributio
 ordinatius & decentius fieret, hi e-
 nim erant totius illius cœtus mo-
 deratores. Verù ut nunc sunt tem-
 pora, bona Ecclesiastica iniquè di-
 stribuuntur, nec per illos per quos
 fieri oportebat.

CAPUT QUINTUM.

v. r. *Ananias*] Hic Ananias non
 leve aliquod delictum commisit,
 unde & Græci hanc historiam vo-
 cant *Φειστικὴ δίκη*, horrendam
 narrationem. Sacrilega & avarus
 fuit, dum partē ex eo quod sacrum
 DEO esse profitebatur, subtraxit:
 siquidem altera parte laudem &
 opinionem sanctitatis mercari vo-
 luit, altera autem sibimet ipsi pro-
 spicere, si quæ forte in posterum
 necessitas incederet, quæ notula
 ipsius diffidentia erat. Et saltem
 ne aliis inferior videretur, qui pos-
 sessiones suas pauperib; consecra-
 rant, apparenter sua vendere, su-

amq; ambitionem & arrogantiam
 manifestare voluit. Omnium ve-
 ro gravissimum ejus fuit pecca-
 tum, contemptus Sp. S. quem Ec-
 clesiæ suæ præsentissimum esse, &
 per Apostolos se exerere efficaci-
 ter sciebat, nec tñ. dubitavit eum
 fallere, quando partem offeren-
 do, totum pretium se deposuisse
 ante Apostolorum pedes professus
 est, juxta eum uxore. Accedit hy-
 pocrisis & obstinata mentiendi
 audacia; hinc E. condigna poena
 mactati sunt.

v. 12. *Stoa Salomonis*] de porticu
 Salomonis aliàs egimus. Elegan-

ter eâ de re scripsit Constantinus L. Empereum in codice Mildolle pag. 53. Sic aucta erat Ecclesia, ut non amplius domo privata contineri potuerint, protruduntur huc in publicum, velut apum examen.

v. 15. *Petri umbra in umbra et a-liquem*] Pontificij abutuntur hoc loco, dum hinc venerationem reliquiarum Sanctorum probare student. Arg. Si Petri umbra observata, sanaverit agrotos, multo magis observandæ Sanctorum reliquiarum, propter parilem insignem usum. Hoc quam umbrosum sit argumentum Tom. 9. L. C. D. Gerhardus docet. Sane umbra Petri, quâ umbra, neminẽ sanavit, alias enim Petri umbra se. nper saluti fera fuisset: & stulta est consequentia: Umbra Petri est medicina in firmis, E. reliquiarum sanctorum sunt custodiendæ arctè. Deus huiusmodi miracula fieri concedebat v. 16. quo multi ex variis terris allicerentur ad Evangelium audiendum; jmo nè de Christo legimus talia, cujus facta licet dignitate & ordine semper prima sint: quare & nõ frustra dixit Joh. c. XIV. futurum aliquando ut majora quam ipse opera facerent, non quasi haud potuisset, sed ultrò in statu exinanitionis talia exercere noluit. propè simile exemplum habemus, Act. XIX. de

Pauli sudariis: docet autem hæc miraculorum novitas, quomodo Deus sit liberrimum agens, is non sanat sicut Medicus, qui sine certis & ordinariis pharmacis, curare nequit, ei quod cunq; aptum est ad scopum intentum. Per verba, umbram, sudaria Apostolorum, sanantem multis restituit.

v. 34. *Gamaliel*] Quid de Gamalielis animo erga Apostolos sit sentiendum vid. Lud. Capell. Spicil. ad h. l. de hoc Gamalielis consilio multa habet Baronius ad An. C. 37. quem autem taxat Casaubonus in Exercit. ad Anal.

v. 27. *Judas Galileus*] Josephus in lib. 18. Antiq. ubi de sectis apud judæos differit, studium sapientiæ sectantium viæ, primus autor fuit Judas Galileus. Hi cetera cum Pharisæis consentiunt, nisi quod constantissimo libertatis amore flagrant, credentes solum DEUM Dominum habendum ac Principem, & facilius vel ex qui sitissima poenarum genera laturi, unâ cum cognatis suis ac carissimis, quam mortalem aliquem appellare Dominum. Hunc in judæa cum Saddoco omnium calamitatum autorem facit. Hi enim duo, cū missus esset Quirinus in judæam in censum describendam, sollicitabant ad seditionem populum. Censum dictan-

dictantes, nihil aliud quam apertam servitutem inferre, & gentem ad tuendam libertatem adhortantes. Improbatur hujus Judæ Galilæi intempestivum Zelum h. l. Gamaliel, cui & omnes assentiuntur. v. 40. Et fatentur tributum ab Augusto ex jure victoriæ & ditionis impositum ex Deo, seu ex Jure

quod genti à Numine datum ortum esse; Nam quod etiam ex illo Jure permissum, iram Dei nunciabant. Matt. XXII. 16. Marc. XII. 14. Luc. XX. 21. Adhib. Capelli spicilegium ubi Lucam c. 2. cum Josepho, qui Theudam & Galilæum lib. 20. Antiquit. c. 2. citat. confert ac aequaliter conciliat.

CAPUT SEXTUM.

v. 1. **G**racorum] juxta Heinsium fuere origine Judæi qui græcè loquebantur, & translatione græca LXX. interpretum in Synagogis utebantur. Sunt ergo hi Græcienfes non Græci: Non Hellenes sed Hellenistæ. Inter hos & Ebræos sic dictos, qui authenticum Hebræum originalem textum solum scrutabantur similitates inveteratæ, etiã propter hanc S. scripturæ translationem in Græcam linguam, fuerunt: Nam Hebræi profano hoc sermone Biblia pollui putabant. Imo propter legem sub Pt. Philadelpho Græcè redditam, die octavo Thebetis jejunium solenne instituerunt, unde & Hebræi Græcorum interitum vatiniario aliquo odio quærebant. De hoc Græcorum adversus Hebræos murmure consulatur Jos. Scaliger de emend. Temp. l. 2. p. 149. edit. secunda &

animad. Euseb. 124. a. e contra Claud. Salmasius in tract. suo de Hellenistica, plausibiliter ostendit fuisse *Ἰουδαίους*, natione & sermone Græcos, nempe Profelytos ex Judaismo ad Christianismum conversos, Hierosolymis morantes, qui sentiebant indigenas iis non æquari sed præferri. Hebræos vero esse origine Judæos, in quacunq; etiam linguâ sacra tractarint. Atq; id probatur ex cap. IX. 29. & c. XI. 28. ubi *Ἰουδαίους* in tali sensu quoq; sumi contendit: Licet Drusus ad hunc librum testetur: Tales nusquam *Ἰουδαίους*, sed semper Profelytos dictos fuisse.

Item *vidue*] De hujus vocis acceptione satis convenienter judicet Bodinus ad h. l. nempe viduas absolute in Scriptura quandoq; citra sextus significationem sumi promiseris & egenis, nam quando Sp.

S. jube

S. jubet, ut pupillis & viduis supplicia ferantur, quosq; calamitosos putat. Hinc nec sexum tantum denotasse putamus Christum, quando in-gemiscit Matt. V. Væ vobis qui comeditis domos viduarum, sed desertæ plebeculæ facultates. Imo & *χήρα*. i. e. vidua descendit à *χρηδα*, orbo, destituo & bona queq; aufero. Ac viduare solet idem esse, quod privare. viduertas autem calamitas, bonis quemquam privans.

v. 2. *Mensis*] Est locutio metonymica, & sumitur hic pro rebus ad victum spectantibus.

v. 4. *In precibus perdurabimus*] Hic præprimis intelliguntur publicæ & ad morem Judæorum statæ preces Actor. XVI. 13. quæ *δεσποχαι* dicebantur. Ut plurimum autem domus Proseuchæ Judæorum ut & Samaritanorum, extra civitatum mœnia reperiebantur.

v. 5. Meminit Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi, olim in Ecclesia Christi usitatum, fuisse, ut si quis minister Ecclesiæ constitui oporteret, cum prius in cœtu Ecclesiæ nominarent, si forte in illo aliquid reperiretur culpabile, quod à tali officio indignū repellere posset.

Item. *Nicolaum*] Ab hoc juxta

Euseb. hist. Eccles. lib. 3. c. 29. arbitrium, hæresis Nicolaitarum originem ducit: De origine hujus hæreseos videatur Clem. Alexand. Stromatū lib. 3. aliter ejus initium Epiphanius recenset lib. 1. Tom. 2. hæresi 25. Irenæus, Theodoretus & præprimis Johannes in Apocalypsi hanc hæresin refutant. Sic communiter mali mixti bonis, de quâ re multa egit Augustinus in opere quo Petitioni reponit literis. Sed facile negare possem illos Nicolaitas ab hoc Diacono descendere, cum quoq; alij multi facile Nicolai appellari potuerint, sicut non valet consequentia, Simoniacos à Simone Petro sic dictos, cum alius hujus sectæ autor fuerit Simon Magus.

v. 6. *Imp. fuerant eis manus*] quem ritum latini Ordinationem, Græci *χειροτονία* vocant. & denotabat apud Judæos invocationem divinæ potentia, unde & munia publica eò ritu conferebantur: manum imponebant ordinando, non à ritu isto, quia mactantes jumentis olim manūs imponere solebant. Est autem ceremonia antiquissima, siquidem Israel enbedicendo Ephraim & Manassi Gen. XLVIII. 14. & Moses Josuæ imposuisse manus notatur

notatur Num. XXVII. 18. inde nonnulli *χρησθέντων* manasse putant. Formulas benedicendi quas hic veteres adhibuerunt, reperies in Misna & Gemara tit. Sota c. 7. in Talmude Babylonico fol. 37. & 38. in Mosis Maimonidis tractatu Tephila Webarceth Cohenim, seu de precatone & sacerdotum benedictionibus. In Epitome rerum à S. Petro gestarum Clementi tributâ, formula habetur Zachæi in præfecturam Ecclesiæ Casariensis ordinandi. Hæc cum dixisset (Petrus sc.) Zachæo manus imposuit cum his verbis: Domine, Domine, Pater Domini ac Dei, ac Servatoris nostri Jesu Christi, Spiritus tui sancti ac venerandi operâ custodias hunc quem de legi, ut pastor sit populo tuo. Sic sacris initiati, per manuum impositionem tali muneri destinabantur. Imo post hæresin respiscensibus manus quoq; imponebantur ut observavit Dionys. Alexandrinus apud Enseb. lib. 7. cap. 2. & ut statutum in Synod. Nicenâ prima can. 8. Qui plura de ritu ordinandi & *χρησθέντων*, scire velit, videat quæ perhibentur in tit. Talmudico Sanhedrin cap. 1. apud Abrahamum Zacuthium in sepher Jechasin fol. 60. a. Pet. Galatium in arcanis Catholicæ verit. l.

4. cap. 16. Joh. Buxtorfium in lex. Chaldaico, verbo *כִּסֵּם*. Guiliel. Postellum lib. 4. de Concord. orbis p. 377. Hug. Grot. in notis ad Evang. p. 329. Jos. Scaligerum in Elencho Trihæresij c. 10. Pet. Cunnæum de Republ. Hebræorum l. 1. c. 12. & Walonem Messalinum de Episc. & Presbyteris cap. 5. p. 395. Theophylactus ait, Manus hominis imponitur, sed tota actio est DEI.

v. 9. *Synagoga*] in civitate amplissima, quò tanquam ad communem Academiam Judæi se conferbant, oportebat discentium cætus distinctos & diversos esse, sicut hodiè alibi collegia sunt. Distincta autem Hierosolymis fuisse pro varietate nationum ex hoc loco liquet. Seldenus in prolegom. de successoribus Ebræorum in bona de functorum, ostendit, quod in Academia Hierosolymitanâ collegia amplius 400. fuerint, & ostendit in singulis fuisse binas scholas. Ubi una בית ספר Domus scripturæ, altera בית תורה Domus doctrinæ, dicta.

Item. *Libertinorum*] Lyranus glossam interlinearem citans, cum Nic. Gorrano Libertinos putavit à regione dictos esse, cum tamen nullam ejus nominis provinciam reperiri putem. Græca scho-

D

lia

lia ajunt, fuisse Romæ ex Livia Augusti uxore ortos, cujus facti indicium nusquam exstat. Alij populos Africæ fuisse contendunt, nempe ex Lybia. L. Valla palam docet hoc nomen conditionis esse, cum Malcolmo Scoto, nam constat apud Romanos libertinos fuisse, qui è servis liberi facti fuerunt, ita Horatius, se Libertino Patre natum scribit: aut igitur, quod si tanquam inferioris conditionis ab ingenuis segregati, synagogam peculiarem habuerint; aut quod à Libertino quoque iam synagoga ista exstructa, sicut à Centurione Capernaumi factum fuisse exstat Luc. VII. 5. aut aliâ quâpiam de causâ. (nam è variis cognominationibus desumi possunt) hoc nominis synag. impetraverit Camerarius in N. T. confitetur. Quid nunc significetur hoc nomine, ego certè judicare non possum.

Alexandrini sunt Ægyptij, quia Alexandria est ejus regni caput. Græci sunt Africani vel natalitate tales.

v. 15. *Quasi faciem Angeli*] Vultus cum sit animi speculum, hinc relucet ex facie Stephani mentis Innocentia, sicut a. Angelus non timet hominum potentiam, ita Stephanus bonâ suâ conscientia & causâ fiducia fretus, facile omnem excussit timorem, ac sine rubore causam suâ egit. Nam conscia mens recti, famæ mendacia ridet. Imo DEUS ejus vultum condecoravit, ut aspectu statim ipso percelleret animos Judæorum, simile quippiam de facie Angeli vide 2. Sam. XIV. 17. Et huc quædat illud 1. Joh. IV. Vos ex DEO estis filii, & vicistis eos, quoniam potentior qui in vobis, quam qui in mundo.

CAPUT SEPTIMUM.

v. 2. SCOPUS hujus prolixi discursus Stephani ex V. T. hic est. Accusarant Judæi Stephanum quasi Legem contempsisset, ut est cap. VI. 13. ac templi religionem violasset; Ad quæ respondet & sacris exemplis comprobatur, quod fides in Deum, ante & post legem latam, haud Cerc-

monia Deo placuerint, & quod Deus Patribus se manifestaverit jam ante templum conditum: Veram E. religionem requirere fidem in Deum licet templum vel ceremoniâ desinat. Sic probatur se non in Deum, nec in ejus legem, nec in sanctum locum quicquam deliquisse.

v. 4. *Pater ejus mortuus*] *Quatenus*

tenuis conveniat Stephano & Mofi, in expositione historica, de morte patris Abrahæ ante vel post emigrationem factam, prolixum hic foret ostendere. Hic Chronologi sicut anathomici solent vix conveniunt; nos donec commodior detur, hanc eligimus viam, ita ut putemus Abrahamum bis ex Charan in Canan iter fecisse, Mosen a. de primo, Stephanum de reterato itinere loqui. Copiosè hac de re disputarunt Hieronymus in Tract. super Genesin & D. Augustinus lib. de Civ. dei. 16. c. 15. vid. insuper Glassij Philol. S. pag. 212. D. Waltherum ad. h. 1. Sethi Calvisij Chronol. cap. 36. & Lud. de Dieu.

v. 5. *Nec dedit ei hereditatem in ea*] At obj. emisse Abrahamum in illa Ephronis agrum Gen. XXIII. 16. E. habuit ibidem terram suam in qua pedem figeret. Quamvis etiam Deus nobis donet, quæ emimus, interim ad dandi modum hic Stephanus respicit; Alia enim ratione posterius Abraham, quam ipse Canaan possederunt: illi jure proprio, hic tanquam advena & peregrinus; vel tempus factæ promissionis respicit, nam ante Saræ mortem Abraham nihil ejus terra jure hereditario possedit.

v. 9. *Vendiderunt in Ægyptum*]

Genes. XXXVII. 27. legimus Josephum Ismaelitis, non Ægyptiis venditum fuisse, attamen ut ab his in Ægyptum abduceretur; quare non de termino venditionis, sed de eventu est hic locus intelligendus. Sic quandoque in uno verbo duæ significationes occurrere possunt, juxta Glassium.

v. 14. *Septuaginta quing.*] At Joseph. Antiquit. l. 2. c. 4. & Gen. c. XLVI. juxta Hebræum textum tantum 70. animæ in Ægyptum descenderunt. Beza placet Bartrami Cornelii Collegæ sui conjectura, dum putat hic non πέντε sed πέντες Lucam scripsisse, quam lectionem probat quoque Bonaventura, Corn. Bertramus in suis lucubrationibus Frankenthalensibus. Cum tamen hic contra omnium Codicum fidem agant, refragantibus etiam cunctis paraphrastis, Syro, Arabe, item Hieronymo & Augustino, quod ipse Beza non potest ire inficias. Eugubinus in Genesin, cum nonnullis Pontificiis, vult vocem πέντε, vitio librarium, in sacrum Codicem Nov. Testamenti irrepsisse. Sed contra hos ingeniose satis disputavit Dn. D. Glassius Philol. S. pag. 213. vid. B. Patris notas ad h. l.

v. 16. *Translati sunt Sichemam*]

D 2

De

De Jacobo & Josepho est res certa, sed an omnes filii Jacobi, hic à Stephano Patriarchæ dicti, etiam sint in Sichem terræ demandati, dubium est, vid. saltem Joseph. Antiq. lib. 2. c. 4.

v. 18. *Rex, qui non noverat Josephum.*] Hic equidem non est sermo de historica notitia, nam haud dubitandum, Ægyptiorum reges bene adhuc novisse Josephi familiam. Sed hic sermo est de ipsius Josephi notitiâ familiari & amabili, quæ usus Pharaonis ejus *Quæ-
stio 250.* Et hic valet illud Proverb. Qui procul est ab oculis, procul est à lumine mentis.

v. 19. Quæ hic & alibi insperguntur, non usq; adeò ad præsentem quæstionem faciunt, sed apponuntur ad integrandam expositionis & historię seriem.

v. 22. *Eruditus fuit Moses in omni sapientia Ægyptiorum.*] Non professus fuit illicitam notitiam vel magicum quid, sed *Coſiæ*, ut ex mox sequentibus verbis patet, quatenus nimirum potens dictis & factis fuit. Euseb. lib. de Præparat. Evang. 8. c. 2. Mosen à singulari eruditione & doctrina commendat. Augustinus de doct. Christiana lib. 2. c. 40. prolixè ex hoc loco probat, licere Christianis, ut in Philosophiâ se exerceant, eaq;ve ad

religionem nostram repurgatâ utantur. Et paulò post: Nonne aspiciamus quantum aurò & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor sævissimus &c. Imò Vetus & N. Testam. in multis, nobis infcis est umbra, & tenebræ, nisi Ægyptiorum, Assyriorum, Persarum, Afrorum, propè ipsorum idola ac superstitionem didicerimus. Necessariò Philosophia gentilium Theologiæ ancillari debet, ut id ipsum rationibus ac exemplis probat D. Calixtus in Appar. Theol. à pag. 46. Quomodo Moſis ad exemplum, hodie quoq; adhuc possumus profanas literas addiscere, hic non multis ostendam, remitto saltem bonos, ad monita Beati Lutheri in præfat. ad librum Judith. & Thobix. etiam quæ habet Tom. 7. Jen. Germ. pag. 37. Et quæ exstant, *in der alten Meckelburgischen Kirchen-Ordnung/ Wittebergæ An. 1552. typis exscripta, pag. 127. addatur Joh. Mathesius in cap. 15. §. ad Corinth. fol. 8. fac. 2. plura hujusmodi lege apud Hieronymum in Epist. ad Magnum urbis Romæ Oratorem.*

v. 24. *Percusso Ægyptio.*] Actus ille Moſis dicitur fuisse heroicus. Fuit prognosticon & portentosum, quod præfigurabat populo, se à Deo esse destinatum, per quem Ægypti

Ægyptii tandē essent perimendi, Israelitæ a. redimendi v. 25. Non E. ut Exempl. imitandum proponitur.

v. 30. *Visus est ei Angelus Domini.*] Verum Exod. III. 4. dicitur, Dominum, non Angelum Moysi apparuisse. Unde & putamus, hic Stephanum intendere Dei filium, qui quandoq; in scriptura *אֱלֹהִים*, ut Genes. XLVIII. Exod. XIV. Malach. III. Angelus indigitatur. Hic Esa. IX. à LXX. Interpretibus, Angelus magni consilii nominatur. De eò Paulus I. Cor. X. testatur, quod populum suum ex Ægypto eduxerit. Hic est Deus Abraham, Isaac, & Jacob. Et Jehova, Exod. cap. XIII. vers. 14.

Item. *In flammeo igne rubi.*] Rubus quidem ardebat, sed à flamma non absorbatur, Philo, Eusebius & Theodoretus volunt, hanc visione representatas fuisse, populi Israelitici in Ægypto pressuras, illum autem non succubiturum tali sub onere, fore enim, ut ex tali flammâ DEUS incolumes Israelitas eripiat. Alii ajunt, sicut hæc flamma rubum non conflagravit, ita nec portas inferorum Ecclesiam evertere posse; Ecclesia enim ut aurū in ipsa flamma probatur. Origenes cum rubo confert Mariam, cum flamma

Christū, sicut autem flamma non absorsit rubum, ita & Mariam Christō gravidam tamen virginem mansisse. Plurimi autem per flammam intelligunt Dei filium, de quō non insolens est, quod in Veteri Testamento variis modis se manifestarit. Unde & ad hæc Cyrillus: Incarnationem suam adumbravit: Divinam naturam sacræ literæ igni assimilant, propterea quod viribus polleat, & facile huc illucq; discurras; lignō autem & herbis hominem è terra formatum: quemadmodum autem ignem rubus ferre non potest, ita nec humanitas divinitatem, sed in Christo tamen hæc duo convenerunt, habitavit in illo divinitatis plenitudo corporaliter: quod autem carnem suam materialiter corruptibilem, corruptione superiorem reddiderit, quōdam anigmate rubi ab igne minimè cremato declaravit.

v. 42. *Exercitum cali.*] est Sol, Luna ac reliquæ Stellæ, uti sic sumitur quoq; Deuter. XVII. 3. quas stellas Achab, Achaz & Manasses magna reverentia coluerunt.

Item. *Libro Prophetarum.*] Sunt Prophetæ minores. Et R. David Kimchi sic orditur commentariū suum in illos. Hic liber est co-

D 3

gmen

gmentatus ex XII. Prophetis; & simul sunt compacti, ne liber ex illis periret propter brevitatem suam, si quis per se distinctus esset.

v. 43. *Ad Babylonis fines.*] In Amos. c. V. 21. id non existat, sed Damascus, cum tamen longè diversum quid sic Damascus à Babylone. Hic Stephanus cum versione LXX. loqui maluit. Sed quid LXX. moverit sic recedere à textu Hebræo, meritò est in quæstione.

v. 53. *Per dispositionem Angelorū.*] Hic vult Glassius, *εἰς* pro *ἐν* explicandum esse, eos accepisse legem à Deo, Angelis tum circumvallatū. Spanhem. T. 2. dub. Evang. dub. 50. pag. 577. hic intelligit magnū Angelum foederis. Heinsius in Exercit. sacr. ad h. l. per Angelos hoc loco putat Prophetas.

v. 55. *Intentis in cælum oculis.*] In terra hostibus circumdatus, cum illi nullum esset præsidium, desuper auxilium sibi promittit; sursum oculos elevat, & quidem insigni cum cura, quod importat vox *ἀνωψω*, prout sic quoq; sumitur Actor. I. 10. c. III. 4. Luc. IV. 20. c. XXII. 56.

Item. *Vidit.*] Scroderus in Sceptro regali, in medio relinquit, ancorporalis vel mentalis fuerit visio. Pro spirituali visione pugnat B. Parens, ad h. l. & cum illo

D. Gerlachius in assertione doctrinæ de Majestate contra Buzum c. 9. pag. 498.

Item. *Adstantem.*] Gregor. M. lib. 2. in Job. c. 2. Stare adjuvantis est, & recte stare cernitur, qui in bello certantibus opitulatur. Hieron. in Epistola de Attrib. Dei. Deus (inquit) stare dicitur, cum nos infirmos ad conversionem patienter sustinet. Voluit hinc innuere, Jesum illi ad auxiliandum paratum esse.

v. 56. *Filium Hominis.*] Hinc Christo ut plurimum hoc nomen in sacris literis tribuitur, uti Psal. LXXXVIII. 18. Dan. VII. 3. nam verus homo erat, & ex uno homine natus, scilicet *ἀνθρώπος*, & propter benevolentiam erga homines sic dici maluit. &c.

v. 57. *Continuerunt aures suas.*] Sicut aspides obturant aures, ne audiant vocem incantatoris, ita & hic contigisse videmus, licet Stephanus illorū salutem intenderit.

v. 58. *Extra urbem lapidarunt.*] uti scriptum est Levit. XXIV.

Item. *Lapidarunt.*] Cum hoc sit unum ex quatuor, nempe gladii, ignis, suffocationis, & lapidationis, suppliciorum generibus, existimamus Judæos etiā posteaquam terra eorum in Provinciam à Romanis redacta fuit, *ἀνθρώπων* retinuis-

retinuisse, & Romanos iis legis suae usum permisisse. Sanè quod non omnia jura Majestatis Judæis fuerint adempta, patet præter alia ex jure cudendi monetam, quò adhuc usos fuisse Judæos, iterum ab Antiochi temporibus. I. Maccab. XV. v. 6. sic satis liquet Matth. XXII. 19. 20. 21. Seldenus de jure Ebræorum lib. IV. cap. 13. putat, ablato jure capitali, Judæos tamen quandoque omisâ viâ juris, viam facti arripere potuisse, præprimis erga blasphemos, apostatas, negotiatores, fraudulentos &c. Unde & cum prospero successu, Christum proprio ausu flagellasse & è templo ejecisse nummularios, probat; ac similem executionem à privato quoquam perfici potuisse. Non pigrabor hoc adscribere verba de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 20. Ebræorum Moribus, Ebræus à Deo & Lege Dei deficiens, aut ducem se ad falsos cultus præbens, illico à quovis homine poterat interfici, & propè tali obtentu in Antiam quoque fuisse hic lapidationem in Stephanum

& conspiracy in Paulum Actor. XXIII. 13. Hoc ita se habere, constat ex Joh. X: 31. 32. & aliis Script. locis. Certè Judæi, contra patriam religionem seu leges Mosis incedentes, ex permissione Judæorum, adhuc tempore, Christi punire poterant, quo collimant illa Actor. XVIII. v. 15. Qui vcrò Romanorum Imperio ac legibus se opponebant, jura eorum publica turbabant, hi Romanos judices experiebantur. Quare & Judæi Christum Romanorum judicio sistebant, quia eum criminis læsæ Majestatis Cæsareæ reum falso agebant, tanquam seditiosum accusabant, & quasi tributa dari Cæsari inhibisset, ut talia refert Ev. Lucas cap. XXIII. v. 2. Hæc cum viderentur concernere Cæsarem, æquum putabant, ut à Pilato Romano Præsule, & supplicio à Romanis recepto afficeretur. Quando Ergo Johan. XVIII. 30. responderunt,

Pila


Pilato, non licet nobis occidere, quoniam; confessi sunt carentiam jurisdictionis, circa causas seculares, & propriè ad Romanum imperium spectantes, in quibus Judæi non judices esse poterant, nec ubi Judaica poena, sed Ethnica, ut erat crucis, dictanda erat.

Item. *Adolescentis Saulis.*] Chrysostomus ait, Paulum tunc fuisse virum 30, annorum, qui mox in Cap. IX. 13. dicitur *an̄e*. Quare hic non ad ætatem, sed ad disciplinam respicitur: conf. Actor. cap. XX. 9. Sic etiam Marc. cap. XIV. 51. custodes Christi vocantur *καταστάται*. Imò Cicero Roscium defendens, vocat se 27, annorum adolescentulum. Addatur Franc. Spanhemius Dub. Evangel. part. 2. dub. 59.

v. 59. *Domine Jesu.*] Hic sophisticam explicationem Francisci Davidis silentiò præterire nequeo, qui negavit adorationem Jesu, & præ-

tendit hic JESU esse genitivum, sicque saltem invocari Patrem Christi, non Christum. Sanè JESUM, qui se ipsi manifestavit consolando, adoravit. Etiam phraseologia Græca repugnat, si esset genitivus, præfigeretur articulus.

v. 60. *Obdormivit.*] i. e. repositus fuit in sepulchro, quasi cubitum concessisset, undè tandem experge factus resuscitaretur. Christus morte, sua nostram mortem adedò dulcavit, ut mortis nomine, mutató somn^o vocari debeat. Hinc rectè, cum moreretur Lazarus, dixit Dominus Joh. XI, Lazarus amicus noster dormit, & vado ut à somnò excitem eum. Item, de Jairi filia inquit; Non mortua est puella, sed dormit. Sic & de S. Patribus Scriptura scribit, quod obdormiverint. Piè defuncti quiete cum Christo fruuntur, & ab hujus vitæ laboribus quiescunt resurrecturi vegetiores,



IN ACT. APOST.

dictantes, nihil aliud quam apertam servitutem inferre, & gentem ad tuendam libertatem adhortantes. Improbatur hujus Judæ Galilæi intempestivum Zelum h. l. Gamaliel, cui & omnes assentiuntur. v. 40. Et fatentur tributum ab Augusto ex jure victoriae & ditionis impositum ex Deo, seu ex Jure

CAPUT SE

v. I. **G**racorum] juxta Heinsium fuere origine Judæi qui græcè loquebantur, & translatione græca LXX. interpretum in Synagogis utebantur. Sunt ergo hi Græcienfes non Græci: Non Hellenes sed Hellenistæ. Inter hos & Ebræos sic dictos, qui authenticum Hebræum originale textum solum scrutabantur similitates inveteratæ, etiã propter hanc S. scripturæ translationem in Græcam linguam, fuerunt: Nam Hebræi profano hoc sermone Biblia pollui putabant. Imo propter legem sub Pt. Philadelpho Græcè redditam, die octavo Thebetis jejunium solenne instituerunt, unde & Hebræi Græcorum interitum vatiniario aliquo odio quærebant. De hoc Græcorum adversus Hebræos murmure confutatur Jos. Scaliger de emend. Temp. l. 2. p. 149. edit. secunda &

quod
runt
Jur
ban
Luc
legi
phe
lib.
fert

ani
Cla
Hel
fuit
mor
Jud
ver
qui
aqui
esse
tiam
id p
ubi
sum
ad
nus
Pro
I
cep
eat
abie
traf
miff

mine datum or
quod etiam ex illo
ram Dei nuncia
6. Marc. XII. 14.
b. Capelli spici
m c. 2. cum Jose
am & Galilæum
c. 2. citat. con
conciliat.

124. a. econtra
in tract. suo de
sibiliter ostendit
natione & ser
pe Profelytos ex
Christianismum con
ymis morantes,
digenas iis non
ri. Hebræos vero
s, in quacunq; e
tractarint. Atq;
IX. 29. & c. XI. 20.
tali sensu quodq;
Licet Drufius
testetur: Tales
26, sed semper
fuisse.
e hujus vocis ac
venienter judi
l. nempe viduas
tra quandoq; ci
ionem sumi pro
am quando Sp.

S. jube

